

227

225

231

221

236

216

276

176

326

126

Ende

Anfang

212

testudinatis et fons sive cisterna bonas et sanas continens aquas. Hanc domum Philippus quondam Dux Burgundiae bonae memoriae in hospitium comparavit peregrinorum, ac fratribus montis Syon commendavit. Unde et hospitale peregrinorum nominatur. Fratres autem montis Syon eam locant alicui Christiano orientali, qui ibi habitat. Audivi, quod antequam domus illa esset pro peregrinorum hospitio comparata, cogebantur peregrini manere in civitatis diversorio juxta plateam in magna despectione et miseria, et multas sustinebant a Sarracenis injurias. Singulares enim inimici Christianorum sunt Sarraceni et Mauri de Rama, et magni vexatores, ut patebit. Divisimus ergo nos per habitacula socii ad socios compares, et Domini mei cum omnibus suis famulis habuimus habitaculum satis amplum, ad quod mattas emimus, cooperientes terram, ut non in nudo humo nos sedere, jacere, dormire et manducare oporteret. Non enim erat ibi nisi camera testudinata cum pavimento et parietibus vacua omni supellectili, dempta illa, quam nos intulimus. Erat autem, quando civitatem ingressi sumus, circa horam IX. ante meridiem. Porro Pater Gardianus cum suis fratribus in interiori horto domus, ubi erat habitatio patronorum, disposuerant et exercent altare ad stipitem magnae palmae, quae ibi stabat repleta dactilis, et omnibus peregrinis vocatis ad illum hortum, et obstructis januis, ne pagani nos impedirent, unus de fratribus Missam celebravit. Sub Missa vero Pater Gardianus pulchrum sermonem fecit (B) latinum, quia Italicus erat, et Theutonicum ignorabat. Et quia non habebat secum fratrem Theutonicum eloquentem, qui suum sermonem Alemannis interpretaretur, rogavit me sibi assistere, et peregrinis Theutonis sua hortamenta proponere, quod libens feci: et ad ejus latus steti, et prolata ab eo propositione in Latino, eandem ex ore ejus sumpsi, et in vulgari Theutonio protuli. Porro in ipso sermone proposuit certos articulos peregrinis, in quibus comprehendit regimen et videndi ordinem, quem tenere deberent inter Sarracenos et infideles conversantes in terra sancta, ne ignorantia periculum incurrere contigeret.

Primus articulus: si aliqui peregrini venissent sine expressa licentia Papae, et ex hoc excommunicationem Papae

